



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

14 Quando cesset obligatio denunciationis iuridicae

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

in solut. ad 5. explicat, neque aliud expedit, aut necessarium est communi bono, cui sufficit, ut publica delicta puniantur, & occulta conuenienti ordine charitatis cohibeantur. Neque enim per se loquendo habent superiores ius ad puniendum peccata occulta, Thom. Sanchez. lib. 6. de cal. c. 18. num. 56. ubi crimen ambitionis in societate reputat, & optimè esse directè in damnum commune, affirmat, inquam, fore denunciandum, etiam si secretum sit, & probari non possit, quia non fit, (inquit denunciatio Præposito generali ut iudici, sed ut patri: neque enim ex tali denunciazione punire publicè potest delinquentem, & inhabilem reddere. Ergo sentit Thom. Sanchez. delicta omnino secreta, quæ probari non possunt, non posse iudicialiter denunciari, præcipue si ex tali denunciazione puniatio sequenda foret. Loysa 2. 2. q. 33. art. 8. disp. 47. num. 6. affirmat omnes sine controuersia ita sentire & num. 15. dicit Prælatos religionum raro posse præcipere, ut aliquid occultum sibi etiam ut patri manifestetur: quoniam non potest illis factis constare, vtrum res in eo statu sit, ut subditu licite occultum prodatur, & magnum occasionem perplexitatis illi prebent, & idèd optima regula est illa. S. Thom. art. 8. in solut. ad 1. Prælatum tunc solum posse præcipere, quando potest inquirere, potest autem, quando adest denunciator, aut infamia, quod intelligendum est tam de paterna, quam de iudiciali inquisitione; quia, S. Thom. indistinctè, & vniuersum loquitur & num. 16. ubi dubitat, an sicut non licet deferre ad iudicium hoc genus occulti denunciatio, ita etiam non liceat testificando? Et responder eandem esse rationem, quoniam nemo testificari potest, nisi crimen probabile, quia adest alius testis, vel saltem infamia. & num. 21. dicit. Si superior præcipiat denunciare, quantumcunque absolute præcipiat, non obligat, nisi circa crimen, quod probari potest, & seruat correctionis ordinem, alius esset preceptum iniustum. Alphonsi de Villagota in sua pract. canon. lib. 2. tract. de denunciati. Euangelica, pag. 94. concl. 5. c. 4. & 5. concl. 4. pag. 101. late probat cum Panormit. & aliis delictum, quod non potest probari, quia nullus alius præter denuntiantem scit, non posse iudicialiter denunciari: ex capite, hoc videtur, 22. quest. 5. ex capite, erubescant, 37. distinctio, ubi, Virbanus. De manifestis loquimur, secretum cognitor Deus, & in capite plerumque 1. questio. 7. dicit, S. August. plerumque boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, & tacent, quia deferuntur à publicis documentis, quibus ea, que ipsi sciunt, probare iudicibus non possunt. Ratio horum Doctorum ea est, quia non potest esse iudicium sine sufficienti probatione. Ergo ubi hæc est impossibilis, cessat obligatio denunciandi, quæ ad iudicium complendum ordinatur. Neque obtare videtur aduersus hanc doctrinam vsus Prælatorum peccata omnino occulte sibi denunciari præcipiunt, ubi certum est non præcipi denunciationem paternam, sed iudicalem, siquidem coram Secretario, & propria manu signatur denunciatio, & illa facta sine vlla correctione secreta Fiscalis accusat, & denuntiantem, ut testem obstat hic vsus, nam Prælati procedunt via inquisitionis generalis, ipse autem denunciatus debet videre, quæ denunciare debet; non enim iudices limites charitatis fraternæ in illis casibus, in quibus obligat, transgredi intendunt, neque peccata, quæ probabilis non sunt, sed penitus occulta volunt ad suum tribunal deferri, ut optimè dicit D. Tho. 2. 2. quest. 33. artic. 7. ad 5. Talius enim peccatorum dum probabilis non sunt, solum est iudex ipse Deus, cui omnia sunt manifesta.

10. Verum meo iudicio omnino dicendum est re posse, & debere delinquentem aduersus tertiam personam, vel commune bonum Prælati ut iudici denunciare, si alia via tibi non suppetit damnum impediendi, etiam si probare non possis, sed solum tu sis, qui noueris, modo non noveris per confessionem, & manifestatio delicti sufficiat damnum impedire aliquo modo, et si non perfecte: ita expressè docet Syluest. verbo correctio, quest. 5. Eman. Saa, in edit. Rom. verbo denunciatio. Valen. disp. 3. quest. 10. p. 5. pag. 677. Villalob. tom. 2. sum. tract. 4. diff. 11. n. 2. & 4. & restatur esse commune, Lessus lib. 2. de iust. cap. 30. dub. 2. num. 13. & dub. 6. num. 43. & multis allegatis Thom. Sanchez. lib. 3. de matr. disp. 13. art. num. 2. ubi volentes contrahere cum impedimento, etiam si impedimentum infamatorum sit, probat esse denunciandos iudici, quantumuis occultum impedimentum sit, probare non possit, fauèntque Congregatio. V. Illo decreto de manifestis delictis c. 15. p. m. & ubi dicit, quando prudenter indicaretur non posse adhiberi sufficientem remedium, quo bono communi, vel tertie personæ prouideatur, nisi assumatur in ea re persona iudicis, tunc tenebitur subditus ad iudicalem denunciationem superiori faciendam, & loquitur congregatio in toto illo decreto de delictis occultis omnino.

Ratio conclusionis est, quia hæc denunciatio non tam ad punitionem delinquentis, quam ad præcauendum damnum, quod intendit inferre, ordinatur. Ergo non est curandum, quod ipse delinquens infametur, vel vexetur per denunciationem, hæc enim consequuntur per accidens, quod enim primò intenditur, est defensio innocentis, vel boni communis. Neque obstat delictum probari non posse, ut sciens non teneatur denunciare, quia non denunciat, ut probet delictum, sed ut damnum impediatur, quod per denunciationem impeditur, & licet sufficienter per denunciationem damnum non impediretur, nihilominus debet denunciare,

quia per denunciationem aperis viam iudici, ut inquirat, & querat media impediendi, ut optimè notauit Thom. Sanchez. lib. 3. de matr. disp. 18. n. 2. Eman. Saa supra, verbo denunciatio. Neque Doctores supra relatos sentio nobis dissentire: non enim credibile est illos velle non esse denunciandum delinquentem, qui ciuitatem pararet incendere, si alia via præter denunciationem iudicalem non suppetit impediendi damnum. Est enim iniquum non facere bono communi ob delinquentis detrimentum. Quare debent intelligi de denunciazione ad punitionem, non de denunciazione ad præcauendum malum impendens requisita.

11. Solum aduerto, quando Prælati, seu Inquisitores mandant denunciationem sibi fieri de his, & aliis delictis, absque eo quod cum aliquo communice: hoc intelligi debet de delictis, quæ tibi certo constant in edictis contineri, quæque tibi mandantur denunciari. Nam si dubius es an peccata, quæ scis, sint contenta in edictis vel non, poteris absque dubio consulere confessorium, vel virum doctum; neque hanc communicationem intendunt Inquisitores prohibere, ut aduertit Ioan. Sanch. select. disputatio 11. n. 57. cum Arcualo de correct. fraternalis. fol. 188. & Bannes 2. 2. q. 33. art. 8. dub. ad 7. argum.

12. Sed inquires quid dicendum in propriis iniuriis? Respondeo, raro in his est obligatio corripiendi secretè delinquentem: quia raro inuenitur iniuriatus, cui graue non sit iniuriantem fraternaliter corrigere, & cuius correctio ab iniuriato admittatur. Potest tamen iniuriatus satisfacionem expostulare apud iudicem, si alia via non ei offertur, & denunciare delinquentem in omnibus casibus, in quibus diximus denunciari posse delicta alteri damnum inferentia, ita ex Atag. 2. 2. quest. 68. art. 3. docet Villalob. tom. 2. sum. tract. 4. diff. 12. num. 2.

PUNCTVM XIV.

Quando cesset obligatio denunciationis iudicis.

1. Delinquentes, quorum delicta non laborant infamia, & constat emendatos esse, non sunt iudicialiter denunciandi, & quid dicendum de crimine hæresis.
2. Quando præsumi potest delinquens emendatus, ut cesset obligatio denunciationis.
3. Delictum à duobus vel tribus notum, si iudex ad punitionem procedit, non est denunciandum.
4. Neque item est denunciandum, si sub secreto delictum accepisti, modo delictum non cedat in damnum tertii.
5. Accepta in compensationem non sunt manifestanda ob preceptum latum de reuelandis furtis.
6. Quid preceptum sit de manifestando accepta tamen si accepta sint in recompensationem?
7. Si tibi graue damnus ex denunciazione imminet non tenetis denunciare, vel si compellendus es probare, nec potes.
8. Tandem excusari à iudiciali denunciazione, si à fide dignis non accepisti.

1. Delinquentes, quorum delicta non laborant infamia, si constat emendatos esse, esto fuerint delicta in damnum tertii, vel communitatis, denuncianda non sunt, est ferè omnium sententia, ut constat ex Doctoribus in superiori puncto pro nostra conclusione allegatis. Nam ea de causa delicta secreta dicimus posse iudicibus manifestari, ut impediatur damnum tertii, vel communitati impendens. Si igitur iam cessauit damnum, cessat & ratio iustificans manifestationem. Præterea quia in tali casu iudex solum procedit ad punitionem, quando verò iudex ad punitionem procedit, requiritur delinquentem infamia laborare. ut est decisio in c. inquisitionis §. tertio. de accusat. & probat bene Lessus lib. 2. c. 19. dub. 15. n. 12. & dicemus disp. de iudice, & in propriis terminis docet Sua. de charit. disp. 8. sect. 9. n. 10. Cordub. in sum. q. 64. p. 2. & Nauar. lib. 2. de restitutio. capite 4. dub. 10. n. 98. Hæc enim delicta iam emendata habentur, ac si non essent commissa, solum ab hac regula generali excipit Sua. disputat. 20. sectio. 4. numero 13. & Ioan. Sanch. disp. 11. numero 51. crimen hæresis propter eius atrocitatem, & infectionem; quod licet iure naturæ denunciandum non sit, si iam sit emendatum, at ex vi præcepti ecclesiastici affirmat denunciandum fore. Quæ doctrina vera est, si ponamus esse delictum probabile: nam cum in illo casu possit sciens denunciare ad punitionem, debet emendatus denunciare, & hoc modo explicio Eman. Saa. verbo denunciatio, in edit. Romana, affirmantem cum Toledo, Sorio, & Nauar. hæreticum, quem scis respiciisse, non tenetis denunciare. De aliis vero delictis plures Doctores non infamæ notæ censent stante emendatione nullo modo esse denuncianda, si occulta sint, hoc est, si infamia non laborant: ita innumeris relatis Thom. Sanchez. lib. 6. de cal. c. 18. n. 49. Nauarra lib. 2. de restit. c. 4. num. 116. in 2. edit. Ioan. Sanch. disp. 11. n. 51.

2. Sed inquires, quando præsumi potest delinquens emendatus? Respondeo prudentis arbitrio esse relinquentem; si enim omnino appareant occasiones sublatæ præsumenda est emendatio. Ex solo decursu temporis, nisi longum sit, non est præsumenda correctio. Quando vsu post commissum delictum longum

non tempus praecessit, praesumendus est delinquens correctus, nisi aliunde constet reincedentia: ita expressit Ioan. Sanch. disp. 11. de delictis. §. 2. loquens de denunciatione sollicitationis factae a confessorio, & affirmat cum Aconca tract. de confessor. sollicitationibus, q. 2. num. 15. ad tribunal inquisitionis non esse deferendum, quando longum tempus praecessit a commisso delicto. Et explicans statim quid censetur longum tempus, affirmat tres annos sufficere ad emendationem praesumendam in criminolo, ex Mascard. concl. 600. numero 14. Alciat. reg. 2. praesumpt. 7. Farinac. in praxi, quest. 21. artic. num. 26. & dec. 52. num. 10. lib. 1. ubi agit de suspecto de heresi, qui abiuravit; teneat eandem sententiam, & adducit hos Doctores Seraphinus Frustas in addit. ad Aconeam, questione 3. num. 32. & 33.

Secundus casus, in quo cessat denunciationis iudicis obligatio, est quando delictum duobus, vel tribus tantum est notum, & iudex ad penam procedere intendit: tunc enim non est manifestandum: ita cum Corduba in sum. quest. 64. p. 2. tenet Navarra lib. 2. de restitut. cap. 4. dub. 10. num. 99. in 2. edit. Navarra cap. inter verba concl. 6. n. 21. & in rub. de iudicis num. 87. & alius relatis Lessius de iustit. lib. 2. cap. 2. dub. 18. concl. 2. in 109. 2. edit. Quod intelligendum est cum iudicibus Doctoribus de delictis, quae in damnum tertij non vergunt: de his enim absque infamia non iuste procedit iudex inquirendo, quia infamia est, quae inquisitioni aperit viam, ex capite qualiter & quando el. 2. de accusat. & dato quod ipse iudex iuste procederet, adhuc tamen iustitiae ratio boni communis non exigit punitionem delinquentis, quousque a populo delictum sciatur, & delinquens infamatus sit: ita alius relatis Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 6. num. 47. secunda edit. Si vero delicta in damnum tertij sint, neque emendata teneris ut dictum est, denunciare iudicis, si alia correctio, vel denunciatio paterna non appareat sufficiens.

Tertius casus excusans a denunciatione facienda, est, si sub secreto delictum accepisti, quia tibi ratione petendi consilium, vel remedium est manifestatum: tunc enim etiam procedente infamia, semiplena probatione, non teneris delictum, imo nec potes manifestare, & peccare non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, & ad restitutionem damnorum teneris, ita docere videtur D. Thom. 1. 2. questio. 10. artic. ad. 2. Cordub. in sum. questio. 64. casu 3. & lib. 9. questio. 43. dub. 2. pag. 346. col. 1. Navarra cap. 25. numero 41. & 46. casu 7. & cap. 18. numero 52. & numero 60. Petrus Navarra alius relatis, lib. 2. de restit. cap. 4. numero 102. 2. edit. Eman. Saa, cum aliis verbo iudicialis actus. §. 7. §. 1. numero 6. Lessius lib. 2. de iust. cap. 30. dub. 6. numero 45. Ratio, quia etiam bonum commune exposituler delinquentem infamatum puniri, non tamen exposituler ut iuret ad punitionem, qui sub secreto, & occasione remedij cognovit; accretur enim miseris a consilio, vel remedio petendo. Vnde in nostra Societate, ubi quilibet potest defectus aliorum Praelato deferre, vt patri, ad maiorem delinquentis profectum. Excipitur hic casus, in quo sub secreto gratia petendi consilium accepisti, vt expressè habetur decreto 54. congregat. 6. & can. 10. illius congregat. §. 2. & q. 10. artic. 2. de relig. lib. 20. c. 7. n. 23.

Haec tamen doctrina vera est de delictis, quae in damnum tertij non vergunt, nam si huius conditionis sint & damnum imminuat reipublicae, vel tertio, teneris, si ipse non desistit manifestare, quantumvis sub secreto accepisti, modò non sit sub sigillo confessionis, dignus est enim vt tibi frangatur fides etiam iurata, ob reparationem damni reipublicae, vel tertij innocentis sic Eman. Saa, Navarra, Lessius supra, & innumeris, vt solet, allegatis, Tho. Sanch. l. 3. de matr. disp. 23. art. num. 6. Ex qua doctrina explicat Navarra, Iulium Clarum lib. 5. sentent. §. fin. quest. 27. & Socin. lib. 4. cons. 102. asserentes non teneri quamvis ex praecipuo superstitio, manifestare rem furtiuum, si habeat ab ipso fures, & non aliunde: intelligitur, enim quando fur desistit, & restituit, quia tunc non ad emendationem, sed ad punitionem procederet iudex.

Quartus casus est, quando quis rem alienam accepit in recompensationem sui debiti, modò debitum sit ex iustitia, & liquidum, & alia ad sint circumstantiae honestantes compensationem, de quibus in materia de restitut. tunc enim neque teneris de te, nec de alio debitum manifestare, etiam si iuramento, & excommunicatione praecipiaris, ita relato Corduba q. 64. casu 4. & q. 111. ad finem Syassi, & 63. Vbi loquitur de exhibenda scriptura in tuum damnum. Navarra cap. 17. n. 114. Med. Cod. de restit. q. 1. casu 12. & q. 11. docet Petr. de Navarra lib. 2. de restit. cap. 4. n. 109. in 2. edit. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 6. n. 50. secunda edit. Tho. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 13. in casa simili, n. 3. Eman. Saa censura, numero 3. Ratio, quia excommunicatio fertur tibi ob sursum manifestandum, & in tali casu nullum fuit commissum, si quidem non alienum, sed proprium accepit. Ergo excommunicatio, & praecipium ad illum non extenditur.

Sed quid si mandatis reuelare acceptum ab alio, etiam si scias in recompensationem accepisse, qualiter solet mandari ab auditoribus Romanae curiae ob vitandas fraudes, quae spe contingunt accipiendo in recompensationem, quod nullo modo debitum erat? Angel. verbo fursum, & Navarra, cap. 17. n. 124. & cap. 25. n. 4. abiolore docent neque in hoc casu scientes reuelare, tunc ex eius reuelatione, multae molestiae recompensantibus tibi

debita oriantur. Quod intelligendum est, quando tibi constare in recompensationem legitimum accepisse, nam si dubitas, an iuste alius fecerit recompensationem, debes, nisi dubium deponas, manifestare, quia praecipuum est clarum, & ratio excusans dubia, ac proinde possidet praecipuum, ita Petr. de Navarra lib. 2. de restitutio. cap. 4. num. 206. in 2. edit.

7 Quintus casus est, quando cogendus es probare, quod denuncias, cum te vera non posses, vel aliud detrimentum tibi ex denunciatione veniret: cum graui enim detrimento non teneris damnum alteri impendens impedire, nisi forte esset damnum commune, quod extra denunciationem esset impediendum: tunc enim teneris aliquid damnum pati vt euitaretur: secus e contra, ita cum Corduba, & Navarro, tenet Petr. de Navarra supra n. 107. Eman. Saa verbo iudicialis actus n. 3. Couarru. tract. q. 18. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 6. n. 50. §. sexto in 2. edit. & in cala simili Thomas Sanchez libro 3. de matrimonio, disp. 23. num. 4.

8 Sextus casus est, si iubeas denunciare crimen, quocumque modo scias, non debes denunciare, si a fide dignis non accepisti, vel si non recordaris, a quo accepisti. Noteris enim leuitatis, & proximo damnum sine vlla utilitate inferres, & forte sine fundamento: ita relato Corduba docet Navarra lib. 2. cap. 4. dub. 10. num. 108. 2. edit. Lessius supra §. septimo. Thom. Sanchi concl. 2. num. 7.

PUNCTUM XVI.

An accusatione debeat praecedere secreta correctio.

- 1 Negatur a pluribus praemittendam esse secretam correctionem necessitatem.
- 2 Oppositum affirmatur ab aliis.
- 3 Media procedunt via qui dicunt non esse praemittendam correctionem ex iustitia, bene tamen ex charitate.
- 4 Probabilis est non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam esse accusare delictum, quod esse probari possit, non laborat infamia.
- 5 Quoties a iure datur facultas accusandi non est peccatum contra charitatem accusare.

Plures Doctores negant praemittendam esse correctionem secretam accusationi, Nam accusans non tam intendit emendationem delinquentis, quam punitionem delicti commisi, & satisfactionem offensae factae tertio, vel reipublicae. Non ergo adstringitur corrigere, cum correctio ad emendationem tendat. Deinde committens delictum coram aliis, reipublicam offendit: habet ergo quilibet ex reipublica ius cum accusandi, vt damnatum quod per peccatum reipublica accepit, per punitionem delinquentis reparetur: per peccatum enim incitati fuerant homines ad similia peccanda. debent ergo detereri, & coerceri per punitionem ipsius: sic docuit Adrian. in 4. de correct. fraterna. col. 17. de f. ad. 2. Sotus de regendo secreto memb. 2. q. 1. Navarra cap. 18. num. 10. Cordub. de detract. q. 2. concl. 4. & quest. 3. concl. 4. & Scoto in 4. disp. 15. & Driedo de libert. Christiana. lib. 2. cap. 10. & colligitur ex cap. qualiter & quando 2. de accusat. vbi dicitur: Accusationem legitimam debet praecedere inscriptio, & denunciationem charitativa monitio. Solum ergo ad denunciationem, & non ad accusationem secreta correctio est praemittenda.

2. Alij Doctores per oppositum affirmant praemittendam esse monitionem, si emendatio fratris ex illa speratur, ita Dur. in 4. disp. 19. q. 4. ad. 1. Syluest. verbo accusatio. q. 3. Caiet. 2. 2. q. 33. art. 7. Lorca, lib. 1. art. 8. disp. 47. n. 27. & fauere videtur D. Thom. art. 7. cum vtramque opinionem retulerit, & nullam improbauerit. Ac solum ad 3. insinuat a contrario sensu, cum delictum non est famosum, habere locum verba Christi, Matth. 18. Ratio huius sententiae est, quia charitas id videtur exigere.

3. Media via alij Doctores procedunt. Affirmant namque non esse praemittendam correctionem ex iustitia, quando delictum est probabile, esse tamen praemittendam ex charitate, si fiat intelligitur emendandus priuatis monitis: ita Lessius lib. 2. de iustit. cap. 30. dub. 2. Navarra. l. 2. de restit. c. 4. dub. 13. n. 130. & 131. in 2. edit.

4. Dicendum tamen in hac re existimo: & quilibet ex illis sententis sit satis probabilis, at mihi probabilis est non solum esse contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, delictum accusare, quod esse probari possit, infamia non laborat Ratio est, quia infamia aperit viam iudici ad punitionem, Ergo tibi etiam ad accusandum. Ergo vique sit infamia, clausa tibi est porta accusationis. Excipit nisi contra tertium directum: tunc enim accusatio, quia non ad punitionem tantum, sed ad correctionem ordinatur, institui potest eo ipso quo possis probare, vt latius in disp. de accusat. Deinde punitio publica est ad reparationem iniuriae factae reipublicae, vel alicui tertio. Peccata autem, quae a iudice non sunt contra reipublicam, vel tertium, non censentur reipublicae, vel tertio iniuriam facere. Ergo non est circa illa punitio publica quaerenda;

DE SECRETIS ALACRANTON